



1. Anton f. Pauli, Veritas
Christianæ Religionis,
Hale, 1718.
2. ————— diff. de Insigni
Harmonia Fidei que iusti-
ficat, et fidei quatenus
justificare dicitur, Hale, 1723
3. Barth f. ioh. Henr. f. diff.
de docta in theologia Ignoran-
cia, Argentorati, 1717.
4. Baumgarther f. Sigism. jac. f.
diff. de Limitibus in concili-
anda Rationi Doctrina
revelata observandis, Hale
1757.

26

DE
**TEMPERAMENTIS
SCRIPTORVM NOVI
TESTAMENTI**
DISSERTATIO PRIOR,
QVAM
SVPREMI NVMINIS AVXILIO
ET
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
CONSENSU
IN ALMA PHILYREA
DIE IX. IULII A. O. R. MDCCX.
H. L. Q. G.
PRAESEDE
FRIDERICO QVIRIN. GREGORIO,
PHILOSOPH. MAGIST.
PVBLICE DEFENDENDAM IN SE SVSCIPIET
RESPONDENS
GEBHARD FRIEDERICH RABENER.

LIPSIAE,
LITERIS ANDREAE MARTINI SCHEDIL.
1717.

ГІТИЯ МАЯ ЯЗЫМЕТ
ЧОДА СИЮ НИКО
ГІЧИНА ТАКІ
СІСІЯ ОТА ГІЧІ
ОПУЧАСІНІМ ІМІРІ
ЛІДІЯ СІРІАЛІН ГІЧІ
ГІЧІ СІРІАЛІН ГІЧІ
ГІЧІ СІРІАЛІН ГІЧІ

1391
ПОЛІКАРПІА АМІЛІА АДІЛІ

PRO E M I V M.



Uemadmodum merito eorum
taxandus est error, qui regium
Christianæ religionis palatum
ex solius infirmæ rationis ru-
deribus extruendum esse judi-
cant; ita quoque non levio-
rem censuram merentur isti, qui rationem a re-
velatione tanto intervallo sejungunt, ut conju-
ctio inter illa duo ne quidem unquam sit speran-
da, adeoque Philosophiam e Theologorum scho-
lis penitus ejiciendam esse proh dolor! etiam hisce
nostris temporibus saepiuscule vociferantur. Quid
vafer ille humani generis hostis hisce technis su-
is intendat, perspectu non adeo est difficile, fin-
gas enim vel omnes Theologiæ partes rite absq;
Philosophiæ ministerio explicari posse, certe ta-
men *τέχνης* Scripturæ S. *αρχιθεολογία* hujus ope neu-
tiquam carere poterit. Quomodo enim, qua-
so, ut unius tantum Philosophiæ partis mentio-
nem faciam, de verborum nexu & cohærentia
rectum ferre judicium licebit, nisi prius ex Lo-
gicis, qua ratione ad antecedentia & consequen-

tia respiciendum sit, didiceris? & quomodo vim argumentorum accurate indagari poteris, si nondum ipse in formandis argumentis antea fueris informatus? Obviam itaque eundem hisce infidiis Diabolicis, omnique cura eo allaborandum, ne forte diruto fundamento in male explicatis Scripturæ locis veritates superstructæ uno etiam corruant impetu. Atque hoc ipsum quoque levidense scriptum ex alia Philosophiæ parte ostendet, ipsius operam in Theologia potissimum Exegetica non omni ex parte esse negligendam. Cuncti nempe S. literarum accuriores Interpretes inculcant, ab iis, qui mentem Spiritus DEI recte percipere velint, statum habitumq; Scriptoris, quantum fieri potest, assumendum ejusdemque personam quasi induendam esse; hinc probe consideranda esse Autoris studia, ingenium, temperamentum, mores, educationem, vitæ statum atque sic porro: e quibus unicum tantum elegi, scilicet, ut benevolo Lectori statim *ατε συνόψει* pateat, quid circa hujus vel illius Scriptoris dicendi genus potissimum sit notandum, non inutilem me pro rursus operam facturum esse existimavi, si principiis physicis adjutus in *Scriptorum N. T. temperamentia*, ceu causam varietatis stylis non levem, paulo studiosius inquirerem. Rem ipsam vero sequenti pertra-

pertractavi ordine: §. I. temperamentorum proponit originem atque naturam & simul ^{et in παρόδῳ} de temperamento Adami ante lapsum h. paucis disserit, §. deinde 2. eorundem explicat & firmat numerum, §. 3. de eo, an mores sequantur temperamentum? agit, §. 4. conamen hocce cum ^{δρόδῳ} Elia stare posse evincit, atque sic demum §. 5. rem ipsam aggreditur eo servato ordine, quo in S. Codice Scriptores Divini se ipso sequuntur, hicque semper eadem retinetur methodus, præmittitur numerum paucissimi vita Scriptoris, tum vero ex signis tam proximis quam remotis conjecturæ coarentur de ejusdem temperamento, tandemque, quale exinde sequatur dicendi genus, subjicitur. Proposueram quidem mihi hocce negotium unica tantum absolvere dissertatione, verum cum postea ob certas causas festinandum fuisset, vel solius autem Petri vita ad numerum harum paginarum fere accedere potuisset, ne aut perfunditorie residua tractarem, aut nimia prolixitate Benevolo Lectori tedium essem, hac vice consideratione temperamentorum quatuor Evangelistarum Sanctique Apostoli Pauli contentus fui, de Petri, Jacobi & Judæ temperamentis in dissertatione posteriori, ^{τὰν οὐ κύριος θελήσει ταῦτα μεν}, acturus.

A 3

§. I.

TEMPERAMENTVM vi vocis significat id, quod temperatur, hinc temperamentum in homine, nam de eo mihi nunc sermo est, paucis ita describi posse existimo: quod scilicet sit certa sanguinis *Kœcīs*, in qua unum e principiis primis dominium obtinet a reliquis temperandum. Quia vero istud ipsum dominium varius, pro varietate eorum quibus inest, sequi solet sanguinis motus nec non certa partium quarundam structura, hinc facile cuivis patet, multa prolixitate, quam aliis in definiendo temperamento placere video, non adeo opus esse, cum tota res paucis verbis mihi quidem satis exauriri posse videatur. Ex hisce quoque jam constare puto, vocem temperamentum minus commode usurpari de primo homine in statu innocentia, ubi enim nullum adest sanguinis principium præ reliquis dominium affectans, ibi quoque cessat temperatura ab inferioribus adhibenda. Et licet hic etiam loci nonnemo fuerit inventus, qui Adamo jam ante lapsum temperamentum Sanguineum tribuendum esse peculiari scripto probandum in se suscepit, ipse tamen, ut huic sententiae calculum adjicerem, nondum a me impetrare potui. Nolo jam multis urgere, ex hac sententia, ut quidem ab Autore defensa fuit, omnino sequi, primum hominem non adeo excellentibus ornatum fuisse perfectionibus, habuisse enim jam in corpore suo stimulum ad illicitas voluptates, neque tanto polluisse judicio, ut post lapsum Cholericus, ut reliqua non attingam, hæc enim Domini Theologis discutienda relinquam; ipse satis habeo, si hypothesis illam cum principiis physicis non adeo bene convenire paucis indicavero. Etenim procul omni dubio sanguis Adami ex iisdem principiis primis, ex quibus hodie sanguinem nostrum compositum esse videmus, consistit, hoc autem si est, queritur, utrum principia modo æquali, an vero inæquali invicem fuerint mixta? illud si affirmatur, ratio non appareat, cur denominatio fiat a particulis temperamentum Sanguineum constituentibus, quia totidem adfuisse particulas temperamentum Cholericum & Melancholicum constituentes concessa evincit mixturæ æqualitas; hoc autem si statui-

statuitur, vix amplius defendi poterit; hominem integrum fuisse non mortalem, hujus enim perfectionis causa passim a Theologis ea allegatur, quod qualitates elementares accuratissima harmonia fuerint temperata, ut parti ad interitum tendent locum non relinquenter: neque id gratis dicitur, orta enim post lapsum horum principiorum confusione supereminens cum inferioribus tamdiu belligerat hominemque ad conformia sibi capienda alimenta irvit, quo haec caput nunquam extollere & ad justam orationem pervenire valeant, donec tandem hostibus sic devictis homo miserrimus præmii loco sui ipsius destructionem reportet. Atque sic haud inepte quærenti, quid mortem hominis promoveat responderi poterit: Temperamentum: id namq; efficit, ut vita hominum perpetua mors sit diceenda, quod ipsi etiam Doctissimi Medici cuivis temperamento peculiares assignantes morbos suffragio suo approbare videntur. Si vero vox temperamenti tantopere arrideat, pro sanguineo potius primo homini concedendum erit temperamentum phlegmaticum, hoc est, ejusmodi particularum sanguinis mixtura, qua nulli partium dominium relinquit, sed accuratam & qualitatem stricte observet, hoc enim, judice summo quodam seculi nostri Philosopho, D. D. Thomas, esset phlegma recte temperatum, nam alias nobile phlegmatico Prax. Philos. rum nomen saepius pro hominibus insidiosis ac malitiosis, vel de Moral. C. VII. sidiosis & ineptis catachrestice usurpatur.

§. II.

Toto ergo coelo differt phlegma Adami a phlegmate illo, quod vulgo in Physicorum libris descriptum legimus, hoc enim si verum fateri debeam, salvis aliorum Virorum Celeberrimorum iudiciis, mihi quidem Non-Ens esse videtur, idque ob rationes tum physicas, tum morales, namque eas in hoc genere conjungendas esse arbitror & etiam in toto hoc opusculo sepiissime conjungere allaborabo. Inter Physicos quidem magnam adhuc larem esse de numero particularum sanguinem constituentium non ignoro, minime tamen absurdum, meo quidem iudicio, eorum videtur esse lententia, qui totam sanguinis compositionem temperame ad quatuor revocant principia, ætherem scilicet, lucem, ignem, torum aquam, & terram. Æther cuncta pervadens purissimus est & sionumque su-

vid. B. Christ. Chemicci Dis- sert. 3. de ar- bore vitæ. IV. ir. B. Baeri Compend. the- ol. Posit. P. I. c. IV. §. 14. (d) &c.

D. D. Thomas.
Prax. Philos.
Moral. C. VII.

§. 731. fol. 2

Conf. M. Gott- fr. Polyc. Mül- ler. Dissert. de

temperame- sub.

8 DE TEMPERAMENTIS SCRIPTORVM

manarum con- subtilissimus, hinc agilitatem ignis, fluxilitatem aquæ & gravita-
 nexione hic tem terræ nunquam ita compescere potest, ut ipse hisce superior
 Lipsia: Anno exilitat, quod tamen cum ad temperamentum necessario requi-
 M DCC. VIII. habit. §. 6. 7. ratur, quivis facile videt, particulas in sanguine æthereas pecu-
 liare quoddam temperamentum constitutre haud posse. Rema-
 nent ergo adhuc tria principia extrema, aqua ad temperamen-
 tum, si nempe abundat, sanguineum, ignis ad Cholericum, terra
 ad Melancholicum pertinens. Quid oblectro, relinquitur, phleg-
 mati? Nihil. Imo ipsi temperamenti phlegmatici Patroni, dum
 serum, vel pituitam, vel humorem frigidum in sanguine homi-
 nis phlegmatici abundare statuunt, eo ipso fatentur, tempera-
 mentum phlegmaticum ad sanguineum commode referri posse,
 in quo aqua sub se & serum & pituitam & quoscunque humo-
 res complectens præ aliis dominatur. Quia vero haud raro cum
 particulis istis aqueis proximo gradu unitæ sunt particulæ vel
 terrestres, vel sulphureæ, hinc facillime contingere potuit, ut
 minus studiose inquirentes in particulas præ aliis abundantes,
 peculiare quoddam communiscentur temperamentum, cuius
 tamen infirmitas re paulo magis considerata facile conspicien-
 dam se præbet. Deinde quodvis temperamentum suum agno-
 scit soetum, seu, ut clarus loquar, affectum quendam primari-
 um, sanguineum nempe voluptatem, cholericum ambitionem
 Joh. II. 16. melancholicum avaritiam, quam distinctionem ipse S. Johannes
 quoque observat: quodnam ergo vitium sequitur temperamentum phlegmaticum? Respondent: isti homines otio potissimum
 indulgent & crapula. Verum enim vero tale otium nonne est
 species voluptatis? comissari quid aliud est, quam voluptates
 carnis festari? vides ergo hac via omni modo effectus esse tem-
 plementi languinei. Dicis: Minime vero; Sanguineus Vene-
 rem, phlegmaticus gylam curat. Sed nolo hic jam prolixus
 esse in demonstranda arctissima unione Bacchi cum Venere, id
 tantum moneo, si diversitas modi, quo exercetur voluptas,
 tantum efficere potest, ego vel myriades temperamentorum
 excogitare possem, quippe datur Melancholici, qui impense a-
 mant nummos, aliis magis placent fundi, aliis bestiæ, atque sic
 porro, & tamen hæc objectorum, quæ desiderant, diversitas
 non

NOVI TESTAMENTI.

9

non mutat eorundem temperamentum, sive enim nummos, sive fundos, sive bestias, sive aliud quidpiam opes suas adaugens nimis anxie appetant, manent tamen & dicuntur avari; quid itaque cause subest, quod ejusmodi mutatio tantum in temperamento sanguineo locum invenire vulgo statuatur? Porro unumquodque temperamentum comitatur certa animi facultas praे reliquis excellens, hinc ab omnibus conceditur, Cholericos subtili potissimum gaudere iudicio, Sanguineos ingenio strictiori sensu accepto, Melancholicos autem memoria. Denuo quid Phlegmaticis sit tribuendum non appetet, & tamen necessario, si modo legitima in educatione adhibeantur media, aliqua facultas vim suam exseret, nisi credere velimus, nonnunquam bruta $\alpha\lambda\omega\gamma\alpha$ hominis speciem præ se ferentia in terris vasci. Sed cum mihi jam non constitutum sit de temperamentis abstractive consideratis, si pbrasti philosophica uti licet, differere, verum quæ ab aliis jam satis prolixè in thesi dicta fuere, in succum & sanguinem, vulgo quod dici solet, nunc convertere, hinc istis ulterius deducendis non immoror, de reliquis adhuc necessario monendis in sequentibus verba facturus.

S. III.

Non autem dubito fore complures, qui hoc genus scripturæ leve & vix dignum lectu judicent, cum in eo me occupatum esse videbunt, ut ex moribus certorum hominum conjecturas faciam de eorundem temperamentis. Etenim licet jam ex veteribus G A L E N V S integrum tractatum scripsiterit de eo, quod animi mores corporis temperamentum sequantur, quem e recentioribus secuti sunt S C I P I O C L A R A M O N T I V S, H E I N R I C V S F O L L I N V S, C A M I L L I B A L D V S, J A N V S H V A R T V S, & alii quamplurimi Scriptores Semiotices Doctissimi; non defuere tamen, imo adhuc hodie non defunt Viri Celebres, qui totam illam doctrinam, de conjectandis moribus lubrico inniti fundamento adeoque assensu plane indignam esse autemant. At miror cum nexus inter causam atque effectum satis superque patet, rem ipsam tam acriter impugnari totumque negotium in dubium adhuc vocari posse. Quotidie nimirum videmus, homines iisdem obiectos circumstantiis modo tamen agere diver-

B

simo:

fīsimo: quānam hujus rei causa? Non quārenda erit in re ali-
 qua extra hominem constituta, loquor enim de hominibus, ubi
 exēdem prorsus sunt circumstantiæ extērnæ, erit ergo aliquid in
 ipso homine, cui actionum illarum ortum suum debet varietas.
 Partes autem hominem constituentes sunt anima & corpus ar-
 tīsimo nēxū inter se copulatæ, ita ut certas animi commotio-
 nes sequantur certi corporis motus, & vicissim ob certos cor-
 poris motus certæ in anima oriantur commotiones, hæc enim
 quāndiu in corpore existit, eodem ad obeunda sua munia fre-
 quentissime utitur & ad ipsius nutum sese componere laborat.
 Hæc autem si ita se habent, uti a nemine, salvo artīssimæ uni-
 onis vinculo, negari posse confido, quid obstat, quo minus ex
 nonnullis animæ operationibus hoc vel illud mihi concipere
 possim temperamentum, ego quidem non video. Neque est
 quod mihi objicias, ulum suum habere hanc doctrinam tan-
 tum in homine non emendato, nam in eo, qui ad bonam rediit
 frugem, conspici actiones temperamento penitus contrarias: ve-
 rum enim vero salva res est, objecta actionum mutari posse con-
 cedo, temperamenta, quicquid hic oīganniant alii, cuivis etati
 suum temperamentum designantes, neutquam, quæcunq; ac-
 tribuit conditio nascendi & corporis temperatura, cum multum
 se diuque animus composuerit, bærebunt, nihil horum vitari
 potest, non magis quam accersi, reclīsime scribit SENECA. Sci-
 licet motus sanguinis & spirituum animalium sunt actiones pu-
 re naturales, adeoque inevitabiles pariter ac indifferentes, di-
 scrimen vero actionum, quod nempe emendati bene, non emen-
 dati autem male agant, ortum suum ducit non a mutato tem-
 peramento corporis, hoc namque emendationis ejusmodi capax
 non est, sed a diversa applicatione animæ, quæ, prout in ipsa
 vel dītraçia vel vera virtus dominium obtinet, motibus hisce in-
 differenteribus & recte uti & abuti potest. Exemplō res clarior
 fiet: Concipiamus nobis hominem Gentilem valde ambitiosum,
 ipsius anima jam in utero materno deprehendit sanguinem in
 corpore admodum effervescentem altumque petentem, hinc ad
 similes quoque jam tum se componit motus, fœtu deinceps in
 lucem protruso, eadem anima labe originali conspurcata, simul

ac

Seneca Epist.
 XI.

ac ad annos, quos vocant, discretionis pervenerit, his motibus male ad efferendum se præ aliis utitur, acceptis autem a Sp. S. in conversione ad bene agendum viribus, motus illos naturales non supprimit, imo ne quidem salva corporis sui constitutione super primere potest, ad meliora tamen referat objecta, scilicet præ mundo se effert cunctaque in isto alto supercilie contemnit & cum Paulo pro σκυβάλος reputat; si mors vel Diabolus terrores velint incutere, contemnit eos atque exclamat: Mors, ubi est stimulus tuus? ubi tua, o inferne, victoria? si Tyranni atrocia minitentur pericula, contemnit eos, cum Davide inquiens: In DEO confido, quid mihi faciat homo? Instas: Eo ipso dum Davidis mentionem facis, en! te constrictum teneo, David nonne habuit temperamentum sanguineum? Sanguinei nonne sunt meticulosi? Unde ergo tanta Davidi fiducia? sane temperamentum ejus ut mutatum fuerit necesse est. Verum non negabo Davidis temperamentum fuisse sanguineum; metus tamen ex eodem proveniens temperari potuit a cholera, quam proximo gradu habuisse admixtam, e furore ejus in Nabalem, fastu in numerando populo, aliisque ipsius actionibus abunde apparebat; sed ne quidem opus est, ut eo recurram: respondeo potius, Davidem etiam tum, ubi supra memorata verba protulit, non omnem deposuisse metum, aliud tantum timuisse objectum, nimirum ante conversionem pro Summo Bono agnoscerebat voluptatem corporis, hinc omnia, quæ illam turbari poterant, extimescebat, seria autem poenitentia ad Deum conversus vanitatemque istius felicitatis Boni agnoscens non amplius opus habebat ea timere, quæ illud ipsum destruere videbantur, metum tamen, ne verum Summum Bonum amitteret, minime exxit, unde verba ejus notata sunt dignissima, dum ita loquitur: Horruit propter timorem tuum caro P. CXIX, 110. mea, & a judicis tuis timui. Idem quoque de temperamento melancholico probari potuisset, sed ex hisce jam constare arbitror, temperamentum, id est, ut denuo repeatam, certam sanguinis constitutionem, ex qua certi oriuntur in corpore motus naturales & in se indifferentes, per gratiam non everti, adeoque ex quibusdam actionibus & ante & post conversionem hominum temperamenta colligi posse, id quod præcipue hoc loco erat adserendum.

S. IV.

Neque sic tamen omnis difficultas e medio sublata esse videtur, quia enim in sequentibus probare conabor, pro varietate temperamenti varium quoque fuisse Scriptorum *θεοπνέυστων* stylum, forte quis verba mea ita carpere posset, ac si eo ipso *Θεοπνεύστων* negarem Scripturæ N.T. dum temperamento adcriberem, quod tamen Spiritui S. suisset tribuendum. Verum absit! procul absit a me detectanda illa homineque Christiano minus digna sententia! Πᾶσα γέραψη Θεόπνευστος, hanc vocem ipsius Summi Numinis esse humili mente agnosco, & plane non nego,
 2. Tim. III, 16.
 2. Petri I, 21.
 Matth. X, 19.
 enim ipsis καὶ τὸ πῶς καὶ τὸ τι tum in oratione, tum in scriptis immediate fugessit; sed tu quoque, quicunque fueris hæc legens, negare non poteris, stylum in oraculis illis Divinis non esse unum eundemque cuius rei vix causa commodior, quam quidem temperamenti varietas reddi poterit. Nam Scriptores S. non per quendam *ὑγείασμον* Divinas consignasse literas, ita ut ipsi nescirent, quid scriberent, certum est, isteque error jam olim a primitivæ Ecclesiæ Doctoribus in Montanistis cum primis & Priscillianistis merito fuit taxatus; si ergo orationis *λόγος* Divini Amanuenses sibi luere concisi, non potuere non, dum in aliis affectus excitare voluerunt, in ipsorum quoque animis ac corporibus certæ oriri commotiones, verba autem, cum sint signa eorum, quæ in mente intus agantur, quomodo, quæso, nobis concipere poterimus ab Apostolis motibus hisce vel plane contraria, vel saltem minus convenientia sine summa coactione de Spiritu Dñi vix affirmando in chartam conjici potuisse? quin potius dicendum, Spiritum S. motus illos a se ipso excitatos non destruxisse, sed iisdem ceu instrumento usum ea quoque suppeditasse verba, quæ naturæ iplorum cumprimis essent conformia, & quæ in rebus naturalibus, cessante Divina *Θεοπνεύστων*, a scriptoribus nostris usurpata fuissent. At ne quis existimet, hoc proprii cerebelli tantum esse figmentum, en! gravissimos Theologos & de *ορθοδοξίᾳ* minime suspectos mecum consentientes, quippe dissentientium hac in re exiguis sane est numerus.

numerus. Si nempe expresse scribit DANNHAVERVS: *Impulsu Spiritus* Dannh. in Idea
S. locui sunt DEI homines, sed omnibus ille stylis libertatem concessit. B. I. P. I. Sect.
^{ορθόφως} ei est B. QVENSTEDIVS inquiens. *Diversitatem* III. artic. X.
stylis in V. & N. T. agnoscimus diversosque loquendi modos in S. p. 166.
Codice inveniri non negamus, sed I. causa diversi sermonis non
est illius Scriptoris urbanitas & hujus rusticitas, sed quia dat Spi-
ritus S. unicuique eloqui prout vult, II. agnoscenda quoque est
singularis aliqua συγκατάθεσις Spiritus S. qui se attemperavit
ad captum amarusium & pro ratione eorum verba formavit,
b. e. ejusmodi verba illis inspiravit, quæ illis alias erant usitata
& communi usui comprobata, sive quibus alias usi fuissent, si
sibi fuissent reliqui, idque ideo, ut mysteria secundum consuetum
dicendi modum consignarentur, qua de re accurate agit B. Chry-
soft. Homil. 3. in 1. Cor. II. Eadem quoque alibi repetit, dum
dicit: Styli diversitas aliunde originem habere non videtur,
quam quod Spiritus S. in suggestis Scripturæ verbis, Scripto-
ris cuiusque ingenio & generi dicendi consueto sese accommoda-
vit; hancque in rem præter alios secum consentientem adducit
B. Wilh. Lyserum in dictatis MStis ad Summar. Theol. num. VI. m. 76.
not. 1. ita sententiam suam proponentem: Largimur, ait, ejus-
modi verba Spiritum S. Scriptoribus inspirasse, quæ illis alias e-
rant usitata & communi usu comprobata. Neque dissentit Vir
Doctus Joh. Frischmuth, qui simul ex Cl. POCOKIO obseruat, in-
ter Ebræos quoad Scriptores V. T. Mosen Maimonidem eandem
quoque tueri sententiam. Plura equidem colligere potuisse
celeberrimorum Theologorum testimonia, sed qu. d. quælo, opus
est verbis, ubi res ipsa loquitur?

§. V.

Atque sic via quasi præmunita proprius nunc ad rem ipsam
 accedere licebit: primo autem loco in S. Codice le offert Apo-
 stolus atque Evangelista MATTHÆVS, qui vulgo habetur pro
 filio Alphei & Mariæ B. Mariæ Virginis συγγενὴς, cognomine di-
 Etus Levi, duos enim diversos Christi discipulos cum Grotio con-
 fingere velle non est necesse; ante conversionem peccator in-
 signis, καθημένος ἐν τῷ τελώνῳ, a vocatione vero nobilis Chri-
 sti discipulus ejusdemque doctrinæ auditor diligens operumque

B 3

miran. 6.IX, 9.

MATTHÆVS
 Guil. Cave in
 vita Matthæi
 §. 1.

Grot. in anno
 tat. ad Math.

In System. P. I.
 c. IV. Sect. II.
 Qv. IV. in
 Pont. Solutio-
 num. n. I. p.

Frischmuth
 in disserrt. de
 Sacra Script.
 in Legem Pro-
 phetas & Hagi-
 ograf. divisione
 §. 15.

Pocokius Not.
 Miscell. p. 66.

mirandorum spectator industrius, qui post Praeceptoris sui in coelos ascensionem non tantum viva voce Parthis & Aethiopibus, uti fama fert, Evangelium praedicavit, verum etiam scripto lingua Graeca Evangelio vere aureum toti Christi Ecclesiae reliquit cimelium: Licet autem Christum vocantem relicto telonio statim securus in domo sua una cum multis allis publicanis & peccatoribus exceperit opipare apparato convivio, postea tamen solis leguminibus vitam suam sustentasse legitur, martyrio coronatus in urbe quadam Aethiopie Naddaver, seu, juxta Codicem Arabicum apud KIRSTENIVM בְּמִרְוָנֵרֶת בְּשֻׁבְּרִי in civitate Beichberi.

Kirst. in vitis
4. Evang.

§. VI.

Vita ergo genus Evangelistarum nostri prodere videtur & affectum primarium & temperamentum, fuit nempe παθητός ιων τὸ τελώνιον sive telonarius, qui erat species publicani, a publicanis enim telonarii in Codice Theodosiano distinguuntur, & dos. de indulg. juxta nonnullos publicanus proprie erit ille dicendus, qui ve-
ligal sive terra sive mari aut flumine; telonarius vero, qui ma-
ri aut flumine tantum exigit, quod tamen discrimen non ubiq;
oblivvari videoas. Erant autem publicani, nam hocce nomine
potiori uti nunc liceat, homines sane scelestissimi, ipsis adeo Gen-
vid. Grot. in tilibus ob avaritiam insatiabilem minus probati, hinc Xeno tale
annorat. ad illis tribuit elogium:
Luc. III. 13.

Πάντες τελῶναι πάντες μόσχοι ἀρπαγεῖς.

Quantæ audacie, quanta temeritatis sint Publicanorum facti-
Ulp. I. 12. ff. de ones, nemo est, qui nesciat, inquit VLPIANVS; cum primis
public. & ve- autem Judæi odio istos prosequabantur plus quam hostili & in
stigibus, numerum maximorum peccatorum referre plane non dubitab-
bant, cuius rei vestigia in pluribus N. T. locis occurrunt, scilicet
Israelitæ libertatem semper anhelantes Magistratui alieno vec-
tigalia sine summa animi molestia pendere vix poterant, præser-
tim si accederet exactorum iniquitas, qua in vita publicanorum
nihil erat frequentius, nam isti homunciones πλέον παρὰ τὸ δι-
ατταργύμενον εἰστοὺς πρόσσοντες crumenas subditorum emungere
religioni sibi minime ducebant. In eorum ergo egregio soda-
litio noster quoque comparet MATTHÆVS; neque enim hic au-
diendus

diendus est TERTULLIANVS statuens, Iudæo publicani mu-
nere fungi non licuisse, ob ipsius Summi Numinis interdictum :
Non erit vestigial pendens ex filiis Israel ; verum apud LXX. τι-
λεοφόρον & τελεσκούμενον usurpari sive pro eo, quod est scortum
masculum aut foemineum vestigalia seu pretia pendens aut ac-
cipiens, sive pro eo, quod est mysteriorum Gentilium præfectus
seu initiatus, jamdudum ex Theodoreto observavit SELDENVS.
Eo ipso autem dum MATTÆVM inter publicanos conspicio,
num eundem a vitio avariciae hunc ordinem decente liberum
pronunciare possum? Vix tuto istud fieri posse arbitror, præ-
sertim cum & domus propria & magnum convivium opes ipsum
sibi corrasisse haud obscure indicare videantur. Fuit ergo ava-
rus, fuit Melancholicus : nam melancholicorum sanguis ob suam
spisitudinem & pororum angustiam admodum tarde fluit, cui
motui in anima respondet tenax cuncta retinendi libido, hinc
mens nostra in statu corruptionis objectis præsentibus cum ma-
xime adhærere cupit seque cum ipsis conjungere, & quia videt,
pecuniari esse illam Reginam, cui omnia in mundo serviunt, in-
de sibi contrahit nefarium istud Φιλαγγυεῖας vitium. Si vero ad
sanguinis liberorum constitutionem multum confert ipsorum Pa-
rentum sanguis, vitam simul atque avaritiam in utero materno
acepisse dicendus erit Evangelista a Parente suo Alphæo, si recte
conjectat Vir Doctissimus, GUILIELMVS CAVEVS, qui eun-
dem quoque publicanum fuisse, idque ex ipso quoque nomine Al-
phæi patere existimat : quo & referre possis proverbium Rabbi-
norum, conjugium cum hominibus ex familia publicanorum ideo
interdicentium, quod omnes ad eorum familiam pertinentes sint
publicani, si non ipso actu, saltem affectu, ita enim inquiunt :
אֵן לְמַשְׁבָּחָה שִׁישׁ בְּהַמְּוֹסֵךְ כָּלֵב מִכְסֵן
Non tamen plane diffiteri possum hancce meam sententiam infrin-
gere videri modum conversionis Matthæi, unde & Julianus atq; apud Hiero-
Porphyrius an̄lam arripuere factum hoc sugillandi, aut MATTÆ-
VM faſa in Evangelio suo scripsisse, aut relinquendo statim ta-
bernam contra naturam suam egisse calumniantes : Et de Me-
lancholicis notant Viri Docti, conversionem eorum satis difficul-
ter procedere, quia enim, uti iamjam monui, præsentibus tantum
agglu-

Termill. de pa-
dicitia c. IX.
Deut. XXII,
18.

Seld. de J. N.
& G. Lib. II.
c. 5. in fine,

Cav. I. c.

Hiero-
nym. in Matth.
c. IX.

agglutinantur objectis, & ob gravitatem sanguinis ima petentis creaturas cum maxime amant se longe inferiores, DEVS vero, vel etiam Redentor in forma servi incedens sub ejusmodi accepta specie oculis eorum se non sistit, hinc prolixius quoddam temporis intervallum ad ipsos convertendos requiri videbatur. Verum hic pia mente agnoscendus est digitus DEI, qui peccaminorum Apostoli animæ tantum virium facile concedere potuit, quo alta petere, & quæ antea creaturis adhæserat, soli nunc Creatori adhærere inciperet. Si autem tantam quis cum Juliano virtutem Spiritus S. convertentem impie negare vellet, ei facile quoque demonstrari posse putem, conversioni illi tam insuperabilia non opposita fuisse impedimenta, quam quidem ipse sibi imaginatur. Licit enim mens melancholicorum ad res terrenas tantum sit defixa atque intenta, ita ut vel maxima flagitia committere non erubescant, modo ipsis ex usu sit, negari tamen etiam non potest, animum malefactorum sibi conscient subinde terreri iramq; Summi Entis, quam ex lege cordi suo inscripta agnoscit, valde extimescere, quo ergo major fuit M AT TH AEI iniquitas, eo graviorem animus sensit anxietatem, de Christo autem in civitate Capernatum Evangelium prædicante procul dubio audiverat, ipsum esse Prophetam magnum peccatores anxiousque spiritu ad se venientes lubentissime recipientem, quod acceptum de Christo nuntium prædix instar se habere potuit, quo sic viribus a DEO acceptis eo facilius obstaculum a temperamento alias objiciendum superavit. Neque est quod Porphyrius forte objicere possit, laute post conversionem apparatum convivium pristinis vita actionibus dirette esse oppositum, adeoque totam historiam fide vix dignam esse: nam potuit temperamento M AT TH AEI proximo gradu admixtum esse Sanguineum, aut si hæc responsio non placet, notum est de melancholicis, ipsis medium ægre tenere posse, sed cum lati sunt, impense gaudent, cum tristes sunt, impense tristantur, sanguis nempe eorum semel in motum redactus fortissimo procedit impetu, adeoque & sic convivio celebrato temperamentum oblitissime dicendum non erit: quæ tamen contra eos tantum, qui principium veræ nostræ religionis in dubium vocare velint, dicta aut scripta esse velim.

S. VII.

Et cetera secundum Barnabas epist.

§. VII.

Cum vero Patria quoque, ut verbis utar Viri Celeberrimi D. D. BECMANNI, Patroni atque Fautoris suum opere collendi, & Spiritus singulis regionibus veluti proprius hominum animos rapere soleat certisque affectibus subjicere, hinc de patria MATTHÆI si certo constaret, forte etiam hanc in rem quædam annotari possent; at quoniam de ea Scriptores Ecclesiastici ut plurimum tacent, incertis diu inhærente velle, minus utile parumque jucundum esse autumo. Expendendæ potius adhuc erunt quædam circumstantiæ ab ipso S. Scriptore annotatae, atq; videndum, utrum & illæ sententiæ propositæ faveant, an vero minus. Si autem illud, quod de scriptis V. T. Rabbini usurpare solent, laude dignissimum est proverbium: אֵין בְּתוֹרַת אֲפָרִי אֶחָד שָׁאֵן וְחָרִים גְּרוּרִים בְּבָשָׂר: quidni idem quoque mihi de scriptis N. T. pronuntiare, adeoque & de Evangelio MATTHÆI dicere liceret, non esse in eo vel *μίαν ονειράτων*, a qua non magni sint suspensi montes? quidni ergo ex illa voce, qua Evangelista *positum corporis* sui ante conversionem describit, dum dicit, se fuisse λαθόνον, argumentum aliquod probabile pro ejus temperamento deducere liceret, præsertim cum talem circumstantiam de nemine Apostolorum, si recte memini, annotatam legamus, ipse autem MATTHÆVS videatur stans quoque officio suo rite defungi potuisse? Gravibus nimirum sanguis melancholicorum abundat particulis terrestribus, hinc & ipsi motus aut erosionem corporis non valde amant, sed potius quietis studiosi in omni fere loco desident, unde & eorundem ingenia ad studia Mathematica aptissima esse dicuntur. Non obscurum quoque ipsius temperamenti indicium præbet egregia, in qua eum conspicimus, *fodalitas ex πολλοῖς τελώναις καὶ αμαρτωλοῖς* constans, similis enim simili gaudet, & quamvis negari non possit, melancholicos potius solitudinem, quam aliorum sectari consortium, si tamen in publicum prodire necesse habeant, vix alios quam sui similes invenient comites, Cholerics enim ob neglectum decori, Sanguineis autem propter avaritiam voluptati plane contrariam, non adeo grati esse solent hospites. Neutiquam tamen inde deducenda est sententia BARNABÆ statuensis, Christum homines υπερ πατέρα Barnabas epist;

C

αμαρτ. c. 5.

apagriay ἀνομοτερες ad Apostolatum elegisse, unde postea CELSVS
 Orig. I. I. con- Apostolos totamq; religionem Christianam insamandi occasionem
 tra Celsum. arripuit: nam licet Apostoliante conversionem non fuerint omnium
 Cotel. in l. c. optimi, quod tamen co TELERIO alisque placet, neutiquam tal-
 Barnabæ. men etiam omnes pessimæ notæ homines fuisse dicendum est, quin
 potius de illis quoque obtinet istud πολεθηγάντοι, sunt bona mix-
 ta malis & mala mixta bonis. Tandem tribus adhuc, quod ajunt
 Clem. Alex. ve. bis, de vītu, quo MATTHÆVS vitam suam apud CLEMENTE
 Pædag. I. 2. c. E. fūsſentasse legitur, aliquid dicendum erit. Sola scilicet fū-
 ere legumina: jam vero melancholici ante sui emendationem
 lauторibus cibis minime inhiant, quo sic pecunia eo melius par-
 cere possint, qua consuetudo altera quasi natura facta facile ipsis
 etiam post conversionem, sed sine priori cessante, adhaerere pot-
 est, præsertim cum ipsorum sanguis non continuo leni & molli
 fluxu ipsis titillet adeoque ad delicias carnis invitet.

§. VIII.

vid. §. IV.

Supra autem quodammodo jam fuit monitum, ex tempera-
 menti varietate varium quoque stylum sequi, argumento potissi-
 mum ibi deducto ex unione arduissima inter animam & corpus in-
 tercedente, addo hic eandem varietatem etiam requirere con-
 versionem, in agendo intentionem, ingenique facultatem cui-
 vis temperamento propriam, qua haud difficulter confirmari pos-
 sent, nisi experientia, ut omnium rerum, ita hic quoque optima
 esset Magistra. Dispiciendum itaque jam erit de *stile* MATTHÆI
 atque statim in limine pro certo habendum, namque labor ille alias
 fructuosa sumitur, S. Evangeliam non Ebraico, sed Græco idiomatico
 librum suum compoluisse. Notum quippe est, & olim & adhuc
 hodie multis Doctis Viris eam arrisuisse fententiam, ac si MATTHÆI
 Evangelium ab ipso Autore vel Ebraice, vel Syro-Chaldaice ex-
 aratum paulo post ab alio Apostolo aut Viro Apololico, in Græ-
 cum sermonem conversum fuisse; notum vero etiam est, a
 quamplurimis, imo tantum non omnibus nostris Græci textus
 ἀδιάλεκτοι solidissimis rationibus fuisse evictam, quibus & illam hic
 addere liceat, si scilicet concedatur, nam sine contrario probari
 difficillime poterit, Interpretem non fuisse Θεόωνυσον, anne sic
 veritatis hostibus egregium relinquitur κενσφύγετον, ut clarita-
 tem

tem literæ reformidantes semper ad amissum provocent exemplar Ebraicum, Interpretem hominem fuisse, adeoque & in loco controverso transferendo facile errare potuisse causantes? nonne ergo vel hoc exinde metuendum periculum nobis incitamento esse poterit ad strenuus tuendam illam sententiam, qua hodiernus textus Græcus ipsi Evangelistæ MATTÆO vindicatur? præsertim cum rationes in contrarium allatæ non adeo firmo gaudeant robore, Patrum enim consensus tantopere jactatus, qui tamen, si rem accuratius consideres, universalis non est, potissimum innitur testimonio Papiæ, hominis σοφίᾳ εργα τὸν γάγην, uti eum EUSEBIUS nominat. Græcus itaque textus si Autorem habet MATTÆVM, ad ejusdem quoque Autoris temperamentum referenda erit conspicua in illo *flyli humilitas verborumque perspicuitas*, quæ Apóstolo nostro jam ante conversationem familiaris fuisse dicenda est; siquidem inter homines infinitæ sortis humili dendici generi potissimum assuetos versabatur, finemque suum longe facilius verbis planis atque vulgaribus, quam phrasibus obscuris fastumque Rhetoricum redolentibus obtinere potuit, postea vero Spiritui S. habitum illum naturalem retinere eodemque ad consignanda Divina oracula uti libuit, quo vel hoc exemplo ostenderet, ad Evangelii prædicationem minime optus esse, uti διδάσκοις αὐθεωνίης σοφίας λόγοις, ἀλλα διδάσκοις πνευματικοῖς. Ob eandem rationem vix ac ne vix quidem consentire possum cum Doctissimo Viro B. LAMY solum MAT. THÆVM inter Evangelistas ordinem in historia sua accurate observasse affirmanti: neque tamen propterea cum JOSEPHO ANTONIO GONSALEZ de Salas defendere auderem, MATTÆVM ordinis fuisse negligentissimum suumque Evangelium ad Gentesabiturientem festinante calamo conscripsisse, atque sic Judæis opus aliquod omni rerum digestione destitutum reliquisse; aut cum Celebri Anglorum Mathematico GUILIELMO WHISTONO statuere, partes historiæ hujus Evangelicæ ab ipso Autore in solutis tantummodo schedulis scriptas fuisse, quæ deinde ab hominibus in ordinem redactæ fuissent serieri temporum penitus ignaris. Evidem MATTÆI Evangelio suus non est denegandus ordo generalis, quem ipsa res necessario requirit,

C 2

nam

Euseb. Hirr.
Ecc. lib. III.
cap. ult.

II. Cor. II, 13.

Lamy. in
Harm. 4.
Evangelist.

In manuscripta ad
tract. de dupli-
ci terra vi-
vent. Sect. 3.
p. 150.
VVifthon in
brevi Harmo-
niæ Evangelist.
examine p.
198. seqq.

nam confusum hoc ipsum dicere chaos, esset contra rei veritatem loqui ipsumque Spiritum dEi blasphemare, eo tamen noster Evangelista non videtur evehendus esse, ut statuatur, ipsum quoad ordinem temporum accurate observatum reliquos Evangelistas multum adhuc superare, nam indoles historiarum & & & & & & & & potius, quam annalium faciem praeseferentis, istam ne quidem postulat rerum gestarum seriem, quod hic ulterius deducere non licet, cum insigne Academia nostra decus, D. P. GOTTFR. OLEARIUS, Patronus atque Praeceptor omni pietatis cultu acatem devenerandus, hoc ipsum contra Whistonum jam satis solide tractaverit argumentum,

Oleatus in Ob-
serv. philol.
generalioribus
circa ordinem
narrationis
Matthaei §. IV.

M A R C U S.
Tertull. contra
Marcion. Lib.
IV. c. 2.
Act. XIV. 14.

Spanh. in dis-
sert. de Aposto-
latu & Aposto-
lis, que est in
quaternione
differat, tercia
§. XIII. potissi-
mum & XIX.
Augustinus
Sermon. 146.

Blondell. de
Epis. p. 7.

MATTHAEVM nunc excipiat non *Apostolus*, sed *Apostolicus*, non *Magister*, sed *Discipulus*, ut verbis TERTULIANI loquar: a Christo enim atque Sacris Scriptoribus solos XII. Dis ipsos, quorum numero deinceps & Paulus fuit adscriptus, imo juxta nonnullos etiam Barnabas bis a S. Luca nominatus *Apostolus*, strictiore & eminentiore significatu dictos fuisse *Apostolos*, jamendum peculiari quadam dissertatione probatum ivit Vir Clariss. FRIDERICVS SPANHEMIVS Fil. Caulam vero, cur dEVs in conscribendis Evangelii opera quoque Virotum Apostolicorum uti voluerit, his verbis quodammodo declarare conatus est AVGVSTINVS; Ideo voluit Spiritus S. inquiens, etiam ex his, qui inter duodecim non fuerunt, eligere ad conscribendum *Evangelium* duos, ne paretur gratia evangelizandi usque ad *Apostolos* pervenisse & in illis fontem gratiae defecisse. Cum vero vitam MARCI verbis nveniam descriptam brevissimis, si & ipse minus fuero prolixus, neminem id & agre laturum esse totus mihi persuadeo. Fuit autem MARCUS natione Judaeus, Petri discipulus, qui fidem annuntiasse legitur in Libya, Thebaide, Pentapoli, Marmarica & tota ferme Aegypto, ubi & Ecclesiam Alexandrinam fundasse creditur, praeiii loco Alexandriae, juxta Codicem Arabicum Kirstenii, misserrimum violenta mortis genus reportans, quod tamen martyrium fide adhuc dubia & recentinitur, si quidem BLONDELLVS recte judicat, adeoque pro certo venditandum non erit; magis certum est, quod MARCUS *Evangelium* scriperit, non tam Pe- tro

tro, quam ipso Spiritu S. verba in calamum Græca lingua dictante, idque adhuc hodie per DEI gratiam in Codice nostrorum Bibliorum legere licet.

§. X.

Jam quidem ex Evangelista vita genere in ipsius inquirendum esset temperamentum, quale autem istud fuerit, antequam Christi evaderet Discipulus, certo non constat. Quanquam enim nonnulli apud Hieronymum tradiderunt, eum Sacerdotem fuisse, utque ministerio inutilis esset. pollicem sibi praecidisse, neutquam tamen huic traditioni adeo tuto inniti licebit. Ex sola ergo cum Petro conversatione probabile aliquod pro ejusdem temperamento deduci poterit argumentum: Petrus nempe fuit Sanguineus, quod in Dissertatione posteriori quamplurimis firmabitur rationibus, jam vero, quemadmodum omnia conjunctionem cum sui similibus anhelant, ita potissimum sanguinei cum sanguineis libentissime conversari solent; neque enim Cholericum fervor, aut Melancholicorum torpor iisdem gratus existit atque acceptus. MARCVM autem perpetuum fuisse Petri comitem, omnes testantur Scriptores Ecclesiastici, ipseque Petrus Filium suum nominare dignatur, sive quod ejus Susceptor in Sacro Baptismatis lavacro fuerit, uti CAVEVS ex Isidoro conjectat, sive quod ipsum ad religionem Christianam converterit, quod aliis placet, perinde est, sufficit, quod vel exinde appareat, magnam inter iplos intercessisse familiaritatem. Huic autem conjecturæ forte quis opponere posset autoritatem Eusebii, Epiphani atque Hieronymi statuentium, s. MARCI ministerio certos quosdam homines in Ægypto Ebræorum religioni antea addictos, postea autem Therapevtas nominatos ad fidem veram fuisse conversos, illi autem omne fratum, liberorum, parentum & uxorum fugiebant consortium, ipsam patriam, in qua nati erant, deserentes reliquisque urbibus ac villis vitam agentes plane solitariam vietiique usi-tenuissimo, pane scilicet atque sale, nam hyssopus si adjiceretur, pro lautissimis habebatur deliciis, & qui alii ipsorum recenseri possent mores temperamento sanguineo penitus contrarii. Verum hoc ipsum Therapeutarum vita genus, quod praxin Apostolicam minime redoleat,

vid. Heidegg.
Enchir. Bibl.
Lib. III. c. III.
§. 3. p. 729.

I. Petr. V, 13.

Cav. in vita
Marci §. I.

Euseb. H. E.
I. II. c. 17.
Epiph. Hæref.
XXIX. Hie-
Script. Ecclesi-
alt. c. XI.

redoleret, facit, quo minus eosdem a MARCO conversos, imo ne quidem Christianos, quicquid hic quamplurimi Pontificiorum deblaterent, fuisse credamus, idque firmissimis rationibus demonstrari posset, nisi in hac ipsa Academia illa jam ante viginti annos a Viro quodam Doctissimo prælita fuisset opera.

vid. M. Pauli
Heinii disserr.
de Therapevtis.

Nireph. H. E.
lib. II, c. 43.

Corporis deinde statuta a NICEPHORO delineata hisce cogitatibus aliquo modo etiam favere videtur, refert enim, MARCVM nostrum corpore gavismum fuisse vivido admodum & vegeto, quale quidem sanguineis vulgo solet tribui, siquidem in nullo alio temperamento motus vitales tam secretorii quam excretorii æque promte succedunt, ipsosque morbos ab aliis non ita facile, ac quidem sanguineis, evitari posse, modo iusta accedit dieta, in scriptis Physicorum defenditur.

S. XI.

Baron. ad A.
C. XLV. S. 31.
Thrin. & C. orn.
in præfat. ad
Marcum.
Bellarm. lib.
II, de V.D. c. 7.

Misson. initie-
nerar. Ital. p.
276.

De lingua quidem, qua MARCVS suum scripsiterit Evan- gelium, etiam disceptant eruditæ, BARONIO cumptimis, COR- NELIO A LAPIDE, TIRINO, BELLARMINO aliisque e Pontificiis pro lingua Latina strenue pugnantibus; sed, ne alias nunc ur- geam rationes, contradicunt huic sententia antiquæ Ecclesiæ Doctores & quamvis ipsum exempliar autographum, Venetiis, si credere fas est, adhuc hodie affermatum, item totam decidere posse videatur, quomodo tamen e libro clauso multisque sigillis obsignato, quive literis vetustate penitus consumtis constare dicitur, veritas alicujus rei in lucem protrahi poterit? Si vero oculis MISSIONI credendum, non solum tres aut quatuor lite- ras Græcorum more exaratæ, sed & integræ vocem: *xata*, in hoc ipso autographo conspicere licet. Iplum stylum si consi- deremus, non ita magna quidem a styllo Matthæi sese offert dif- ferentia, quod magnopere etiam mirandum non est, idem namque sermonis argumentum haud raro verba etiam parere solet eadem, præsertim si scribentes communem habeant ortum atque scopum: quod tamen MARCVS utatur verbis *minime obscuris* sed rem satis clare proponentibus, id cum ejusdem temperamento quam optime congruit, relictus etiam totius orationis *concinna brevitas* sanguineis perquam familiaris e tempera- mente

ramento a Spiritu S. seu instrumento usurpato repetenda erit, quam cum nonnullis e fine, quem sibi ut Matthaei epitomator habuerit praefixum, quæ certe sententia maximis laborat difficultibus. MARCUS enim non quendem quem Matthæus servat ordinem, multa a Matthæo fatis prolixæ memorata ne quidem attingit, nonnulla vero a Matthæo omissa fuse recenset, quomo-
do ergo ipsius epitomator erit dicendus? Consentit mecum, quantum ad causam brevitatis in stylo MARCI obvenientis, ex orthodoxis Patribus CHRYSOSTOMVS, qui MARCVM & Lu-
cam Magistros suos imitatos esse dicit, hunc quidem Paulum
*ὑπὲρ τας ποταμὸς ζεοντα, illum vero Petrum βεραχλογιας ἐπιφέ-
λουσον, MARCVM vero æque ac Petrum sanguineos fuisse jam
jam dixi, quemadmodum Pauli atque Luca temperamentum
cholericum nunc pluribus ostendere paro.*

Chrysost. Ho-
mil. IV. in
Matth.

§. XIII.

Pedem namque promoveo ad alterum Virum Apostolicum LVCAS. tertiumque Evangelistam, LVCAM scilicet, qui non tantum Philosophus, sed ut verbis HIERONYMI utar, Medicus quoque fuit Antiochenus, Graeci sermonis non ignorans, sed etiam Apostoli Pauli & omnis peregrinationis ejus comes, scriptit Evangelium, quod celebri cuidam viro, quem Theophilum nominat, una cum alio dicavit libro, in quo τας τὰς Αποσόλων & cum primis Pauli πράξεις, usque ad captivitatem ejus primam ordine recen-
set: neque tantum scriptis, sed etiam viva voce Ecclesiam Christi erudit, quanquam non adeo certum est, quibus Gentibus ipse Evangelium annunciarit, quemadmodum nec id certo determi-
natipotest, quo in loco, aut quo mortis genere vitam suam fini-
verit.

Hieron. in Ca-
tal. Script. Ec-
clesiast.

§. XIV.

Ad hujus ergo Viri Γενιέντες ingenium si paulo accuratius attenderimus, deprehendemus facultatem bene de rebus judi-
candi in eo potissimum vim suam exseruisse, quod ejus studia pa-
riter atque ars, ad quam præ reliquis suum applicuit animum,
magnopere confirmat. Namque, si vera sunt, quæ de ipso THEOPHYLACTVS memoriæ prodidit, fuit την ἐξω σοφιαν πολὺς sive
in externa philosophia magnus: jam vero cum objectum Philo-
sophia

rheophyl.Pra-
fat. in Evan-
gel. Luca conf.
Aret. Com-

ment. in idem sophiæ sit amplissimum ad omnia fere, quæ in macrocosmo & microcosmo geruntur aut conspiciuntur, sese extendens, imo usque ad summum adeo Numen pertingens, quis non videt, in tot tantisque rebus recte dijudicandis exquisitissimo opus esse judicio. Vehementer enim isti errant, qui in liberis suis stupidum animadverentes ingenium studiis eos consecrandos esse existimant, quo sic defectus naturæ per doctrinam ac institucionem e medio tollatur: negari quidem non potest, studium Philosophiæ vires ingenii mirum in modum acuere atque polire, at, quemadmodum non ex omni ligno fit Mercurius, ita quoque, si ad μάθησιν τοῦ ἀρχαὶ non accedat Φύσις, nunquam ea quis præstare poterit, ut inde nomen Philosophi Magni reportet. Hoc autem elogio dum Lucam nostrum jamjam maclatum esse vidi-
mus, magno quoque eundem gavisum fuisse judicio sponte inde-
sequitur.

Verum non modo magnus Philosophus, sed excellens quoque apud S. Patres fuisse prædicatur Medicus, hinc & ipse Paulus eum nominat Ἀσκάν τὸν ἱατρὸν, de Medicis vero etiæ vulgo dicatur, quod sint voluptuosí, id tamen non tam arti, quam per-
versis cultoribus eadem ad alendas suas libidines abutentibus adscribendum est, etenim rectius de probo & perito Medico affir-
mari posse putem, eum esse admodum judicisum: tam varia-

namque cum dentur morborum genera, ne forte mulierem præ-
gnantem sibi persuadeat esse hydropicam, studiole in causas morbi tum remotas tum proximas inquirere debet, follicite præ-
terea observare symptomata ordinaria & extraordianaria, statum quoque ægroti & animum ejus rite explorare, sicque certa &
huic malo convenientia applicare remedia, ut plura jam non ad-
ducam, quæ Medicum valde acuto atque excuto opus habere
judicio satis clare demonstrant. Atque sic etiam apparer, cur
jam temporibus Augusti, in interiori Principum cultu fuerint
Medici, quod de Eudemus Liviæ Medicis testatur TACITVS; sane
enim, qui cum Principe prudente conversari novit, enim bardum
aut stupidum minime esse oportet. Fuit ergo S. LV CASRITE de
rebus judicandi facultate instruclus adeoque in numerum Chol-
ericorum non immixto referri poterit: quippe in eorum san-
guine particulae abundantignæ aqueis atque terrestribus longe
sub:

Tacitus Annal.
lib. IV. c. 3.

subtiliores, sanguinem vero subtilem & spirituosum rerum ideis
subtiliter combinandis cum maxime esse idoneum rectissime a ce-
leberrimis annotatur Medicis. Hancce sanguinis ejusdem mix-
turam quoque conjicere licet ex perpetuo; quem in itinere secu-
tus est, comite, namque Paulum multis cum *laboribus, vigilis a-*
liisque incommodis Evangelium prædicantem non quivis facile
comitari poterat, quod exemplo Johannis cognomento Marci li-
quet, *LVCAS* autem, cuius temperamentum cum Pauli tem-
peramento quam optime conveniebat, Spiritus S. auxilio adjutus
libentissime omnia itineris pericula sustinuit inque promovenda
gloria Divina Paulum suum animo lecitus est promissimo, eam
ob causam nomine *ἀγωνίσας* ab ipso decoratus. Quemadmo-
dum vero jam antea monui cum summorum Virorum personis
conversanti magna opus esse prudentia, ita quoque pro *LVCÆ* Col. IV, 14.
nostri temperamento cholericō ille, cui *libros suos dedicavit*, mi-
litat Theophilus, hunc enim Virum fuisse dignitate pollentem ac
Magistratum forte etiam gerentem ex nomine *Χαριτόνης* quamplu-
rimis admodum videtur verosimile, præsertim cum & Autor re-
ognitionum ipsum Nobilem Antiochensem fuisse scribat, & The-
ophylactus eundem συγχρητικὸν ἀνδρα καὶ ἀερούτονος nominet.
Objicere autem forte quis posset autoritatem *NICEPHORI*, me-
morantis Lucam egregie pingendi artem caluisse, pictoribus au-
tem vulgo plus tribui solet ingenii quam judicii; verum cum ista
de *LVCÆ* pictore relatio fide potissimum nitatur ejusmodi Hi-
storicī, qui ob aniles admixtas fabulas a multis parvi aestimatur,
sententia proposita eo ipso nihil decessurum esse confido.

§. XV.

Multum quoque ad Evangelistæ nostri temperamentum ter-
ru contulisse videtur *patria*, celebris nimis Syria urbs Antio-
chia, olim Emath, hodie dicta Antachia, Turcarum imperio sub-
iecta & semidiruta in ruinis jacens, patriarchali tamen adhuc di-
gnitate gaudens: observatum quippe fuit eruditis Physicis in re-
gionibus Orientalibus, qualis quidem nobis exiit Syria, aerem s. vid. Differ. D. Hoffman.
esse subtiliorem adeoque & sicciorum, aer vero siccus & calidus legar. Th. XXVI.
sanguini corporis humani fæse immiscens ejusdem abundantes
particulas aquas supprimit quasi atque exsiccat, sulphureas au-

vid. Dissert. de
Temperamen-
to fundamen-
to morum &
morborum in
gentibus s. b
præsidio D. D.
Hoffm. Halæ
1705. habit.
Th. IX.
A. XIII. 13.

Luc. I, 3.

vid. Cavin vi.
ta Luce §. IV.

Niceph. H. E.
lib. II. c. 43.

vid. Casaub.
exercit. p. 104.
& 459.

D.

tem

tem inflamat nervosque accedit, qui non possunt non in capite, regia nervorum & judicii sede, ingens acumen ejusmodi hominum ingenii comparare, quali quidem Antiochenos gavilos fuisse inde probari poterit, quod non tantum celeberrima hac in urbe floruit Academia, verum etiam Magistros fovit in omnibus scientiis versatissimos incolasque politissimos. Tandem quia apud probatae fidei Scriptores non legimus, quod LVCAS uxoratus fuerit, ex ejus cælibatu quoque argumentum probabile desumere licebit pro adstruendo ipsius temperamento cholericu, causæ hujus rei infra, ubi de cœlibatu Pauli agendum erit, indicabuntur.

§. XVI.

Græce LVCAM scripsisse, quantum mihi quidem constat, dubium est nemini, ad ipsum vero scriptiorum genus quod attinet, illud optime explicat Doctissimus LEVSDENIVS ita scribens: *Stylus Lucae est florens, elegans & historico more dilucidus, est aliquanto politor stylo Matthæi & Marci.* Et paulo post: *Sane si quis paulo attentius Lucae stylum consideret, videbit ejus scriptis aliquam suavitatem & elegantiam, qua apud alios Evangelistas non invenitur, inesse.* Idem de stylo LVCÆ ex antiquis Patribus judicat HERONIMVS sermonem ejus tam in Evangelio, quam in Actis, comitorem esse & secularem redolere eloquentiam affirmans. Quis vero non videt, pleraque eorum egregie cum ipsius concordare temperamento & studiis? quia enim aliorum libros haud absque judicio legere noverat, hinc quoque judicose retinuit, quod stylo illorum Autorum aliqua ex parte est analogon, uti quidem Lucam legendu quilibet deprehenderet, ipsum idiomate usum fuisse non absimili illi, quod in Versione Græca V.T. usurpatur, quam studiose ipsum evoluisse ex eo colligitur, juxta Gerh. in Exeg. de Script. S. intentiam nostri GERHARDI. Et quoniam Cholerorum ea quoque esse solet indoles, ut rerum origines atque circumstan- tias accurate investigent debitoque aliis proponant ordine, quo sic eo clariores de singulis formari possint idex; anæcœrav orationis, quam statim in exordio promittit Evangelista, haud ita male ad temperamentum ejus, sed tantum ut causam instrumentalem, absit enim a me Spiritum DEi calatum hic unice dirigentem excludere velle, referri posse existimarem, & licet non negem, ordinem

dinem rerum gestarum S. Scriptorem non semper stricte retinere, licet etiam concedam, vocem: *nātēzēs* huncce servatum ordinem neutquam requirere, minime tamen improbare possum commentationem B. CALOVII, quam hisce exprimit verbis: *Prae* B. Calov. in Bibl. Illustr. ad Luc. I. 31. p. 523.
reliquis Evangelistis dñqzēs ordinem rerum gestarum observari a S. Luca Harmonia Evangelica docet. Quia vero in precedentiis ex ejus temperamento familiaritatem, quæ ipsi cum Paulo intercessit, deduxi, ex eodem quoque fonte istud derivari poterit, quod in Actibus Apostolicis de suo potissimum loquatur Paulo, hicque simul celebranda est summa Spiritus S. sapientia, qui, cum Ecclesiæ sua: *ox̄wv̄ inλ̄oȳis* facta atque itinera cumpromis indicare voluerit, talem elegit Scribam, cui verba in calamus dictaret, qui rerum quamplurimarum fuisse *av̄tōȳis*, quo sic veritatis coelestis blasphematoribus eo melius omnis maledicendi præcludatur occasio.

§. XVII.

Sequitur quartus idemque ultimus Evangelista JOHANNES, IOHANNES: quatuor enim tantum esse Evangelia, quæ citra controversiam admittuntur in Ecclesia, jam olim docuit ORIGENES: Fuit ille Filius Orig. Com- Zebedæi, frater Jacobi Majoris ab Herode occisi, a Christo insigni- scensionem Domini sui una cum Petro Evangelium annunciare cœpit, Apostolis vero deinde in omnem terram exeuntibus, ipse Asianis potissimum Christum prædicasse creditur, sub Domitiano cum in oleo fervente nihil passus esset, in insulam Pathmon re-legatus est, ubi & Apocalypsin vidit, postea vero imperante Cocco Nerva reversus Ephesi consedit ibidemque suum scriptit Eu- angelium, trium quoque epistolarum autor: Vitam suam temporibus demum Trajani finivit annunque etatis nonagesimum nonum, vel juxta alios centesimum primum implevit adeoque post reliquos Apostolos omnes mortuus est, quam ob causam etiam nonnullis οπεσθύτης dicitur esse videtur, quemadmodum καὶ οἰχητὸν Σόλογος ab antiqua Ecclesia fuit nuncupatus, quoniam inter exteriores Scriptores S. clarissime & in ipso Evangelii sui initio Filium DEI unigenitum θεον λέγει, DEum esse inculcat acerrimeque contra Hæreticos defendit.

D 2

§. XVIII.

§. XVIII.

In hujs Apostoli facta si inquisiverimus, videbimus, præ reliquis ipsum Christo amore adhæsse minus fucato, namque non solum statim relichto Patre Messia vocanti morem gerebat, verum etiam Dominum patientem comitabatur in hortum, & cum omnes ausfigissent, ipse solus sub cruce Præceptorem suum delefissimum intuebatur moribundum, vixque nuntium de ejusdem resurrectione acceperat, cum illico Petrum adhuc cursu suo superans ad sepulchrum advolaret, veritatem rei certo exploratus. Hæc proba ejus indeoles quia omniscio Salvatori ignota esse non poterat, hinc amore ipsum vicissim complectebatur prorsus singulare, quare & passim in Evangelio suo se tantum nominat Discipulum illum, quem Christus dilexerit, sùmque amorem Redemptor Optimus jam in agone constitutus ipsi adhuc declarabat matrem suam ejusdem curæ commendando, quam etiam JOHANNES amore in dilectum suum ductus confessim eis rà illa recepit. Summan hancce animorum conjunctionem cum nonnulli e Pontificiis ponderassent, forte eo adducti sunt, ut crederent, nostrum Evangelistam in personam Christi fuisse transsubstantiatum, quod de eis refert Cl. WAGENSEILVS. Istud quidem putidum esse figmentum quivis nullo negotio perficit, majori tamen cum fundamento me ex illo amore sincerissimo de JOHANNIS temperamento pronunciare posse arbitror, istud ipsum fuisse sanguineum. Evidem illud jam propugnare non audeo, ac si JOHANNES vi temperamenti natura DEum & proximum vere diligere potuisset, sic enim prolapsus in cassetes Pelagii esset facillimus, sed id tantummodo astro, Spiritui S. in corde ejus unice amorem illum efficient non tanta opposita fuisse impedimenta, quanta quidem in hominibus aliis temperamenti deprehendimus. Gravis nempe Melancholicorum inferiora potissimum perens & Cholericorum nimis effervescens sanguis Spiritus Divini placidis motibus facilius remoram injicere potest, quam sanguineorum æquabili motu procedens & socialitatem semper appetens. Hoc tamen vitii ipsorum amoris adhæret, quod, quia se ipsos quoque nimis impense amant, animi nondum in pietate obfirmati imminentibus persecutionibus aliisque periculis facile per-

VVagens, in
Synopsis Hist.
Universi, p. 110.
cit. B. Itrigio
H. E. C. VII.
Sect. V. §. X.

pervera illa philavtia rursus se ab amore DEI ac proximi averti patiantur, quemadmodum id quoque exemplo JOHANNIS pareret, si traditio quorundam Patrum certo niteretur fundamento, qui per Juvenem relicta sindone e manibus militum evadentem, cuius MARCUS meminit, JOHANNEM intelligendum esse autem, quorum tamen conjectura ob rationes a Doctissimo CASAUBONI indicatas vix alicujus meretur assensum; certius pro JOHANNIS temperamento sanguineo indicium præbet ejus in sacris literis sapientia memorata conversatio cum Apostolo Petro, quem Sanguineum fuisse alibi prolixius ostendetur.

S. XIX.

Modeste itaque hic mihi dissentire liceat a Viro Doctissimo GUILIELMO CAVEO, JOHANNI animum impetuosum maximeque tervidum tribuenti, dum factum istud potissimum urget, ubi JOHANNES una cum Fratre Jacobo ignem de caelo ad perdendos Samaritanos a Christo postulavit: verum ex unico aliquo facto ingenium humanum vix explorari poterit; cum nemo inter homines reperiatur, qui non cholera sanguini suo habeat admixtam adeoque feme, aut etiam sapientia, in vita irascatur, plures autem considerandas sunt actiones atque ex earum deinceps numero demum probabile de hominum temperamentis formabitur judicium, ut de JOHANNE in praecedenti S. fuit ostensum, plerumque ipsius actiones Dux agnovisse amorem, quod & ipse Vir Doctus in sequentibus agnoscit, at raro scivit, qui amat, ut verbis GRAMONDI utar: imo hoc ipsum factum a Celeb. Caveo tantopere inculcatum, rectius ex amore nimio in Doctorem, quam ex nativo animi impetu deducendum videtur, siquidem & alibi de ipso legimus, quod non fuerit passus dæmonia ejici per eum, qui non fuerit ex schola Praeceptoris sui dilectissimi. Et certe pro sententia huc usque defensa ipsius etiam facere videatur longævitas, qua omnes alios Apostolos superasse legitur, temperamento sanguineo quam optime conveniens: etenim ad negotium vitiale quia cum primis requiritur motus sanguinis progressivus, illum vero mutua proportio viarum ad humores & vaia insigniter promovet, hinc rectissime in scholis Physicorum docetur, Sanguinos vitam suam, si modo velint, diutissime produ-

Marc. XIV, 5, 7.

Casaub. not.

ad h. l.

vid. Joh. XIII,

24. c. XX, 3.

Act. III, I. c.

VIII, 14, Gal.

II, 9.

Cav. in vita

Johann. §. 10.

Luc. IX, 54.

Gramond.

Hist. Lib. I.

Luc. IX, 49.

30 DE TEMPERAMENTIS SCRIPTORVM

Præsidio D. D.
Stahlii Hale
1698. habit.
cap. VIII.
¶ Cor. 1X, 5.

producere posse, ob sanguinem moderate dilutum, poros partium satis laxos vaseque eo teneriora atque angustiora. Neque penitus ejusdem hic negligendum est *conjugium a Sanguineo* ci-tius, quam Cholerico aut Melancholico contrahendum, quod ex verbis Paulinis nonnulli haud ita male conjiciunt.

S. XX.

Dissimile quoddam ab aliis & fere suum habere genus dicendi S. JOHANNEM, quod sibi velut ansulis quibusdam con-nexum cohæreat, contextum nonnunquam ex contrariis, non-nunquam ex similibus, nonnunquam ex iisdem subinde repetitis, jamdudum monuit ERASMVS, imo B. noster GLASSIVS peculiari de stylo JOHANNIS egit Sectione, quæ tamen a Viro illo Beato ut JOHANNIS stilo propria annotata fuere, quam optime cum ejusdem temperamento conspirant, quippe eo cuncta collimant, idioma JOHANNIS intellectu esse facillimum, brevissimum, clarissimum atque evidensimum, hæc autem omnia sanguinem prodere temperamentum ex supra dictis constare arbitror. Cumque in antecedentibus jam fuerit probatum, plerasque S. Evangelistæ actiones ex sincero prophanasse amore, quid mirum, si Spiritus S. huncce potissimum Scribam elegerit, per quem saluberrima sepiusque repetita monita de amore DEI & proximi cunctis proponeret ac scribi curaret? quid mirum, si & ipse motibus hinc Divinis locum relinquens usque ad extreum vitæ halitum verba tantum illa ingeminaret? *τινὰ μὲν δύων τριῶν διλέγει*. Licet autem, formam stili species, humilis ille omnino dici posse videatur, ob materia tamen gravitatem mysteriorumque, quæ ipsi neutriquam caro & sanguis revelavit, profunditatem, utique etiam grandis atque sublimis dici meretur, quo ipso quoque Christus procu' dubio respexit, dum ipsum una cum Fratre Jacobo singulati quodam elegio ornavit atque *בְּנֵי רַגְלִים* nominare voluit, quam cognomenti hujus causam e S. Patribus calculo suo approbat *BASILIVS* tale de JOHANNE proferens elogium: *αὐτὸς γένεται ιαννεγείλης κηνούματος ὁ πευδόφαρότας οὐ τόπος μηδένες μέτρον, πάσον δε διανθετούσιος φεγγάριος οὐδένες εἴτε οὐδές τοις βοσκοῖς.* Et de rerum, quas tractat, gravitate bene scribit AVGVSTINVS: Ceteri

Marc. III, 17.

Basil. in init.
Evang. Io-hann.

August. Tract.

Cæteri Evangelistæ cum Divino homine super terram ambulant, ^{36.} in Johann.
de divinitate ejus pauca dixerunt, Johannem autem quasi pigu-
erit super terram ambulare, erexit se non solum super terram &
omnem ambitum aeris & cali, sed super omnem etiam exercitum
Angelorum, & pervenit ad eum, per quem facta sunt omnia,
dicens: In principio erat Verbum. Quæ tamen non ita sunt ac-
cipienda, ac si reliquis Evangelii non æque Divina competit ^{Iren. lib. III.}
auctoritas, uti ex antiquioribus Hæreticis Valentianos blasphe-^{c. II. adv.}
masse refert ^{Hæres.} IRENÆVS, & post illos b. nostrum Lutherum idem ^{Feverd. ad l. c.}
fensiſſe calumniatur FEVARDENTIVS.

§. XXI.

Agmen tandem claudat PAVLVS Apostolus, Gentium PAVLVS.
Doctor, qui natus fuit Tarsi in Cilicia, Romanorum colonia, ex
Parentibus Ebraicis, quippe erat εβραιος ἐξ εβραιων Φυλης Βεναμιην, ^{Phil. III, 5.}
in tenera adhuc ætate studiis humanioribus innutritus artem si-
mul more apud Judæos recepto excolebat conficiendi taberna-
cula, rite autem fundamenta studiorum suorum in Patria positis
Hierosolymam venit Gamalielis celebris Pharisaicæ Sectæ Doctoris
informatione usus, sicque avitæ legis notitiam sibi acquirens
egregiam ingenti zelo, sed & κατ' ἐπιγνώσην, nec minori cum
crudelitate paulatim exsurgentem Ecclesiam Christi vexavit ac
devastavit, neque contentus erat, quod cædes Discipulorum
Christi Hierosolymis promovisset, verum etiam literis a Sacer-
dotibus impetratis Damascum pergebat nomen Christi, afflagram
quantum in ipso erat, penitus deleturus: Itinere autem
ferme absoluto extraordinaria quadam luce nec non Divino
perterritus monito ex lupo ovis, & ex atroci Ecclesiæ persecuto-
re constans atque fidelis ejusdem Doctor factus est, qui nulla
pericula, nullos labores subterfugiens animoque patienti innu-
meras fere calamitates ob Evangelii prædicationem sustinens,
tandem Nerone Tyranno imperante dicam, an sœviente, capite
plexus martyriique coronam adeptus est.

§. XXII.

Quantum ergo ad PAVLI κατὰ σάρκα spectati affectum
dominantem actinet, videtur illa fuisse ambitio alias Cholericis
propria, illi enim homines probe gnari, se præ multis aliis judi-
candi

candi facultate rerumque accurata pollere scientia, donis illis natura concessis sese eferunt, ἡ γὰς γνῶσις Φυσῖοι, Scientia in flat, ut ipse Apostolus alicubi testatur. Habent præterea fanguinem admodum ebullientem & spiritus nimium effervescentes ignisque naturam imitati altum petentes, unde facile ipsum mens, ut se p̄x alii extollat, abripi poterit: PAVLO vero vitium arrogantiæ adhæsisse ex ejus factis tum ante, tum post conversionem, aliquo modo colligere licet. Hierosolymam veniens ad quamnam, quælo, Sectam suum applicuit animum? Ad Pharisæicam. Pharisæum autem si dixeris, hominem summe ambitiosum dixeris, quippe omnes suas actiones tantum πρὸς τὸ Σταθῆσθαι componebant, unde nihil frequentius in vita eorum ab Optimo Redemptore, quam quidem stolidissima illa taxata fuit ambition & ex eadem ortum suum trahens hypocrisy, quinimo etiam aliis ob idem vitium male audiebant, hinc tot egregia eorum epitheta, modo enim de ipsis dicebatur, פָרוֹשׁ קְרִיאֵי Pharisæus venam secans, id est, quitanter coram hominibus mentitur modestiam, ut potius frontem parietibus allisam sauciet, quam oculis apertis mulierem, vel aliud quidpiam pias suas meditationes perturbans aspiciat, item פָרוֹשׁ כַּחֲזָבָנָה Pharisæus quodnam est debitum meum (amplius) & illud faciam? (ex superabundantia) ut alia nunc silentio præteream eorundem cognomina HOTTINGERO notata, quæ famum eorum satis produnt prorsus intolerabilem. Eundem adhuc ulterius declarant verba JOSEPHI: Erat portio quadam Iudeorum, inquit, hominum de scrupulostate & subtilitate paternæ legis gloriantium --- bi dicebantur Pharisæi. Et paucis interjectis luperbiis eorum parere nesciam ita describit: Cum cuncta gens Iudaica jurejurando jurasset, Cæsaris se propriam fore & omnibus Regis regionibus favere, isti Viri non jurarunt; quæ verbis tantum latini ex versione Ruffini Aquilejensis hic adducere placuit. Licet autem virtus Spiritus DEI post conversionem Apostoli eorū ita immutaverit, ut suppressa omni vana ambitione aperte profiteretur: ναυχάδης & δη σὺν πέρη μοι, non tamen penitus proper reliquias peccati adhuc in carne ejus habitantis impedire potuit, quo minus cupiditates ex ambitione

Hott. Thes.
Philol. I. I. c. I.
sect. 5.
Joseph. Lib.
XVII. Antiqu.
Jud. c. 3.

2. Cor. XII. I.

tione ortum trahentes nonnunquam cristas erigerent, unde eodem in loco addit, extraordinarium huic malo a deo paratum fuisse remedium, datum scilicet ipsi esse palum in carne, quem, quæso, in finem? *Ινα μὴ ὑπεραιγητοί*, ne ad pristinum rediret vomitum donisque suis plane singularibus nimium superbiret. Atque hanc ambitionem haud levem quoque conversioni ejus injecisse remoram totus mihi persuadeo, de nullo enim aliorum Apostolorum legimus, quod tam singulari modo ad Apostolatum vocatus vitamque meliorem redactus fuerit. PAVLVS autem ob nimium fastum præjudicio receptæ hypothefeos cum maxime laborans iniquum suaque persona minus dignum judicabat se & Pharisæicæ *ἀνθεστάτη* singulare quidpiam præ aliis affectanti adeoque carni lux mirum in modum blandienti valedicere, atque doctrinam amplecti nil nisi JESUM quandam crucifixum propo-
nentem eamque ob causam omnium prudentiorum contemptui expositam, quæ sane ejus propensioni directe erant contraria & animo magis, quam quidem homini aliis temperamenti & grefaciebant, ita ut omnino ad habitum istum contrarium expellendum gratia DEI peculiari quadam ratione circa hocce subjectum operari necesse haberet. Ex eadem ambitione quoque derivanda est detestanda illius crudelitas, ambitiosus enim cum sibi soli sapere videatur, contradictiones aliorum nullo modo & quo potest audire animo, sed si contradicentes inferioris viderit esse conditionis, mediis licet atrocissimis autoritatem suam contra eos querij allaborat; quo etiam multum confert ipsa sanguinis constitutio, illi enim propter poros strictiores, ut justa fiat commotio, motu opus est eo fortiori, quo sic transitus angustia magnitudine impulsu compensetur, unde etiam Cholerici quicquid agunt, cum vi & impetu agunt, laxitatem vero ad fortissimos animi impetus pertinere nemo facile negaverit. Ad eosdem quoque impetus, quo ante conversionem PAVLVS noster flagravit, responde rendus est Zeli *εὐθύνης*, qui post ejus conversionem exoptatissima catastrophæ mutatus fuit *εἰς Σῆλον Ζεῦ*, unde ipsi adeo Petro, at quantum Apostolus! *ἰσδιαγόντη* fortiter resistere non erubescet. Titumque propter falsos Fratres circumcidere constanter recusabat. In cultu Divino *confans* usq; ad beatam vitæ lux *αἰώνιον*

Conf. Dissert.
supra cit. D.D.
Stahlii c. VIII.

Act. XXII, 3.

2. Cor. XI, 2.

34 DE TEMPERAMENTIS SCRIPTORVM

permansit neque ullæ calamitates a prædicatione Evangelii ipsum detergere potuerunt, quin potius multis cum vigiliis pariter at-

B. Matthes. in Homil. super Epist. ad Corinth.

B. Amphrahius in πατρια Christiana p. 101. ipseque B. Lutherus in colloqu. mensal. c. IX. qui tamen alibi τὸν ψεύτην eligit.

etiam conjecturis hisce de temperamento PAVLI robur accederet, si veræ essent quorundam Theologorum de palo carnī PAVLI immisso tentia, ubi existimant, per huncce σκόλωτα blasphemas cogitationes Apostolo subinde in animo exsurgentēs intelligendas esse; de Choleris enim obseruant Physici, quod ex stentiam Summi Numinis vel plane negent, vel admodum abjecte de DEO sentiant, quod mirum quidem alicui videri possit, cum Atheismus, imo & blasphemia, summam sapientiātēstam, homines judicandi facultate alias insignes ejusmodi absurdis opinionibus assensum suum præbere posse; at hocce assertum non tam ad omnes Cholericos, quam quidem Cholericos in summo gradu pertinere videtur, qualem quidem PAVLVM nostrum fuisse probabile est, tum enim spiritus animales nimis copiose nimiumque celeriter in cerebro divagantes mentem in suis ideis haud raro turbant & ad judicium valde præceps impellentes faciunt, ut homines nimium intelligendo nihil intelligent, præferunt in re passioni sue minus accepta, qualis quidem est reverentia Enti ipsis adhuc superiori exhibenda. Quia vero de loco illo Paulino adhuc sub judice lis est, certi quicquam hic definire nolo, in eorum tamen gratiam, quibus forte placet illa expositiō observationem hanc minime prætereundam fuisse existimavi. Firmius argumentum suppeditat Apostoli continentia, sanguis enim Cholerorum non adeo multas admixtas habet particulas aquosas corpus eorum titillantes hocque molli & leni fluxu animalum ad voluptratem allicientes; accedit & hoc, quod Cholericus amorem alterius fexus tanquam pavorem effeminatum consideret, qui existimationi ejus labem aspergere possit, cumque laboribus tantum sit intentus, cuncta obstacula studio suo opposita, inter quæ & conjugium numerat, cane pejus & angue fugere solet. Evidem non ignoro, coelibatum PAVLI tum antiquioribus, tum a recentioribus Ecclesiæ Doctoribus impugnatū fuisse & adhuc impugnari, quod & paucis abhinc annis d. GOTTLIEB CHRISTIANVS KOCHIVS in peculiari quadam fecit

Nienburgi
1707.

fecit Dissertatione pro conjugio Pauli adstruendo varia ex ipsis Sacris literis Patrumque & recentiorum scriptis conquirens testimonia. Neque penitus negandum est huic sententiae de coelibatu PAVLI cum maxime obstat verba IGNATII ita scribentis: *Non vitupero ceteros beatos, qui se rei uxorio dede-
runt, --- opto enim ut dignus sim, qui ad illorum pedes in
regno cælorum inveniar, utpote Abrahami, Isaaci & Jacobi;
utpote Josephi, Jesaiæ & aliorum Prophetarum; οὐ πέρει καὶ
ΠΑΥΛΟΥ, τῷ τῶν ἀλλων ἀποσόλων, τῷ γάμοις αρρομέλησάντων,
quod antiquissimi Patris testimonium valde confudit Jesuitam Bisselium cum B. Dillherro de conjugio PAVLI acriter disputan-*

*Ignat. in epist.
ad philadelphi-
entes.*

*tem, cuius συγγένειας lepidum eventum recentet ITTIGIVS Itig. Hist. Ec-
cles. Sec. I. c.
IV. p. 247-248.*

*noster, quem haud ita pridem beate defunctum adhuc orbis eri-
ditus deplorat: at cum jam pridem a Viris Doctis, ipso adeo
GEORGIO CALIXTO, fortiter alias pro Clericorum conjugio pu-
guante, observatum fuerit, hunc Ignatii locum ab iniqua manu
interpolatum fuisse, cuius fraudis etiam in sequentibus vestigia
apparent, ex eodem non multum roboris pro adstruendo PAVLI
conjugio peti posse quivis facile perspicere potest, præsertim
eum ipse Apostolus passim coelibatus sui haud obscure mentio-
nem faciat.*

*Calixtus de
Conjugo Cle-
ricorum. p. 128.*

*I. Cor. VII, 7.
c. IX, 5.*

*Vid. Hoffm.
Lex. Univ.
Tom. V. Edit.
Lugd. sub vo-
ce: Tarsus.*

§. XXIII.

Accedendum nunc quoque est ad patriam Pauli, quæ fuit Tarsus, alias dicta Antoniana Severiana & Hadriana, hodie ab in-
collis nominata Terassa & a Turcis Tarsis, ab aliis Hama seu Hamza, metropolis Ciliciæ, in campo sita & Cyndio amne medianam urbem perfluente irrigua. Hæc quoque urbs inter causas tem-
peramenti Apostoli nostri optimo jure referri poterit, ob ratio-
nes supra jam memoratas, & quibus simul patet, cur ipsæ adeo Athenæ, uti quidem STRABO testatur, & Alexandria quoad stu-
dium in Philosophia a Tarsensibus superata fuerint. Quam na-
tivam ipsorum indolem magnopere & vietus, quo usi fuere, ad-
auxit, populos enim, qui vino utuntur, quibus etiam annume-
randi sunt Tarsenses, longe ingeniosiores esse reliquis, a non-
nullis haud absque omni fundamento creditur: vini namque
usus moderatus pituitas extenuat, sanguinem ad elaborandos

§. XV.

*Strabo Geo-
graph. lib. XIV.*

E 2

*Conf. Hoffm.
Disput. §. XIV.
cit. Th. XXX.*

Spi-

36 DE TEMPERAMENTIS SCRIPTORVM

Spiritus promptiore reddit, sive ingenium haud parum acuit. Prodit insuper Tarsemium quamplurimorum temperamentum Cholericum, barba ipsorum promissa, quippe barba, juxta sententiam **GALENI**, oritur ex crassiori quadam & fuliginosa humorum illuvie, quæ a colore per angustos membranæ meatus foras propulsa, dum hæret in transitu, condensatur; totius autem Cilicæ incolas crinum abundasse copia patet ex proverbio, Tibull. lib. I. quo homines hirsuti pilisque obsiti dicebantur Κιλίκοι σχετρύοι, Eleg. 7. v. 11. unde & **TIBULLVS**:

Frigidus intonso Taurus arat Cilicas.

Hinc & nomen cilicæ, quod est vestis genus ex hircorum pilis contextum, in Cilicia enim hircos admodum hirsutos fuisse indicant verba Gloss. Basil. HOFFMANNO allegata; Κιλίκια τράγοι ἀπὸ Κιλικίας δασῶν, πάντα γὰρ οὐ περέχεστο οἱ τοιχοὶ τράγοι. Et ut ad **PAVLVM** redeam densam ipsi tribuit barbam & cilia

Niceph. Hist. Eccl. lib. II. &c. 37. valde prominenta **NICEPHORVS**, qui & totius corporis statu- ram ita depingit, ut vel ex ea non absurde colligere liceat, PAVL temperamentum fuisse cholericum. E multis unum tantummodo adducam, dicit scilicet, exiguae illum fuisse statuæ, qua in re

Chrysost. Serm. in Petr. & Paulum, apud Cav. in vita Pauli cap. VIII. cum Nicophoro consentit **CHRYSOSTOMVS**, & ipse **PAVLVS** hoc non negare videtur verba adversariorum allegans dicenti- um, παχυσιαν σώματος δόθεντι, imo, si **ALTINGO** credendum, in Thalmudico Tractatu ברכות testimonium de hu-

ili queque **PAVLI** statura invenitur, Apostolum enim sub

Samuelis nomine latentem parvum cognominat, quamvis hæc **AL-**

TINGO non tam ad staturam, quam atatem referenda esse vi-

sat. B. Itigio in deantur. Causa vero cur Cholerici tam brevi incedant statu-

Hist. Eccl. Sec. a Doctiss. GOELICKE hæc esse statuitur: quia partes sulphureæ

I. Cap. VII. Sect. dominium in hoc temperamento obtinentes humores pingues at-

V. §. 3¹. que chyleos nimium resolvunt & ad nutritionem ineptos red-

Gelcke in dis- fert. de tempe- ramentorum dunt, deinde etiam, quoniam excessivus iste quo gaudent calor,

natura, char- acteribus, ac diaphanes mor- bosa Halz 1705, meare atque extendere nequit, eo vehementiori pulsu ad vasa

san-

Galenus Lib.
2. de tempe-
ram. c. 5.

Tibull. lib. I. quo homines hirsuti pilisque obsiti dicebantur Κιλίκοι σχετρύοι,
Eleg. 7. v. 11. unde & **TIBULLVS**:

Frigidus intonso Taurus arat Cilicas.

Hinc & nomen cilicæ, quod est vestis genus ex hircorum pilis contextum, in Cilicia enim hircos admodum hirsutos fuisse indicant verba Gloss. Basil. HOFFMANNO allegata; Κιλίκια τράγοι ἀπὸ Κιλικίας δασῶν, πάντα γὰρ οὐ περέχεστο οἱ τοιχοὶ τράγοι. Et ut ad **PAVLVM** redeam densam ipsi tribuit barbam & cilia

Niceph. Hist. Eccl. lib. II. &c. 37. valde prominenta **NICEPHORVS**, qui & totius corporis statu- ram ita depingit, ut vel ex ea non absurde colligere liceat, PAVL temperamentum fuisse cholericum. E multis unum tantummodo adducam, dicit scilicet, exiguae illum fuisse statuæ, qua in re

Chrysost. Serm. in Petr. & Paulum, apud Cav. in vita Pauli cap. VIII. cum Nicophoro consentit **CHRYSOSTOMVS**, & ipse **PAVLVS** hoc non negare videtur verba adversariorum allegans dicenti- um, παχυσιαν σώματος δόθεντι, imo, si **ALTINGO** credendum, in Thalmudico Tractatu ברכות testimonium de hu-

ili queque **PAVLI** statura invenitur, Apostolum enim sub

Samuelis nomine latentem parvum cognominat, quamvis hæc **AL-**

TINGO non tam ad staturam, quam atatem referenda esse vi-

sat. B. Itigio in deantur. Causa vero cur Cholerici tam brevi incedant statu-

Hist. Eccl. Sec. a Doctiss. GOELICKE hæc esse statuitur: quia partes sulphureæ

I. Cap. VII. Sect. dominium in hoc temperamento obtinentes humores pingues at-

V. §. 3¹. que chyleos nimium resolvunt & ad nutritionem ineptos red-

Gelcke in dis- fert. de tempe- ramentorum dunt, deinde etiam, quoniam excessivus iste quo gaudent calor,

natura, char- acteribus, ac diaphanes mor- bosa Halz 1705, meare atque extendere nequit, eo vehementiori pulsu ad vasa

san-

sanguifera reddit eademque distendit, unde etiam vasa ista in Choleris valde conspicua esse quotidie videmus. Solidarum autem partium pori adhuc magis constringuntur, si ejusmodi accedit *vita genus*, quod fessionem corporis requirat incurvatum, quale quidem PAVLI, quod exercuit, opificium fuisse, in proposito est. Tandem cum cuivis temperamento peculiares assignati soleant morbi, an ex his quoque argumentum aliquod pro adstruendo PAVLI temperamento deduci possit, paucis adhuc dispiendiendum erit: Refert de Apostolo nostro S. HIERONYMVS, quod frequentibus fuerit vexatus capitum doloribus, ita ut nonnulli per σκόλων ἀντίσταξιν αὐτῷ δοθέντα dolores istos intelligendos esse existimaverint: jam vero cephalalgia acuta effectus est potissimum temperamenti cholerici, quia enim ad quosvis motus præcipites proni sunt, peregrina quædam corpuscula ex massa sanguinea facile excutiuntur, quæ undique collecta inque corporis partes, cumprimitis autem in caput delata, non possunt non ob formam irregularē instar acicularum pungentes dolores excitare exquisitissimos.

Hieron. Com-
ment. in Gal.
IV.

§. XXIV.

Quæ cum ita sint, Apostoli stylum oportet esse ordinis observantisimum, juxta ea quæ supra dicta fuere, unde non satis mirari possum, Virum cæteroquin Doctissimum, JOHANNEM CLERICVM, in loco quodam Bibliothecæ suæ Selecta, ipsa enim verba inspicere & indicare ob temporis angustiam jam quidem non fuit concessum, eo devenisse, ut Sacrum nostrum Scriptorem αὐτοδοξias accusare non sit veritus. Sane cum PAVLO jam ab ipsa natura insignis judicandi facultas fuerit concessa, quæ et variis ipsius factis etiam satis superque eluet, e.g. ubi Pharisæum se esse clamitans animos querundam adversariorum sibi reddidit benevolos, item ubi ad Ag. XXIII, 6. Cælarem appellans hostium suorum cruentis evasit consiliis c. XXV, 10. nec non ubi futurum prædictum naufragium &c. quomodo, c. XXVII, 10. quæso, illa nativa indoles orationi vel scriptioni ejus jure de-

negari poterit? præsertim cum in ejusdem epistolis peculiaris accedat Spiritus S. inspiratio, quæ donis hisce naturalibus seu instrumento usa calamum ejus ita direxit, ut iste non omni impietatis nota careat, qui Divinum huncce Scriptorem confuso scribendi genere usum fuisse audacter affirmare non erubescat. Rectius hac in re sentit THEODORVS BEZA inquiens:

Beza in anno-
tat. ad 2. Cor.
XI. 6. citat.
Magnif. D. D.
Rechenb. in
dissert. de stylo
S. Pauli episto-
lico §. 23.

Cum orationis Pauli totam indolem & xaqan̄neā propius considero, nullam ego in ipso Platone similem gandiloquentiam... nullam vel in ipso Aristotele ac Galeno, præstantissimis alioquin artificibus, magis exactam docendi methodum invenio. Et sa- ne membrum membro, argumentum argumento in ipsius scri- ptis tam accurate responderet, ut eum, qui summam hic sapi- entiam agnoscere nolit, cœcum esse op̄orteat. Si vero vis ac nexus orationis non statim in nostros penetret animos, defectui attentionis id cumprimitis adscribendum erit, nisi enim attenti fuerimus, ne quidem profanorum Cholericorum epistolas, ora- tiones, aut hujuscemodi scripta plene intelligere poterimus, illi enim ex suis aliorum metientes ingenia non tam verbis, quam rebus sunt intenti, argutas semper immiscentes sententias, ita ut vere de stylo eorum dici possit: Quot verba, tot pondera. Agnoscit hanc causam difficultatis in sermone PAVLI obveniens ex antiquis Patribus IREN. EVS., dum creberrimas transitio- nes ex abrupto hand raro factas ex ingenti animi impetu sancto- que zelo deducendas esse ait, illos vero impetus originem suam magnam partem igneo huic debere temperamento, jam supra ostensem fuit. Ex eodem quoque impetu styli Apostolici deri- vanda est vehementia, si enim ullus Scriptorum N.T. sanc- PAVLVS τὰ ἥδη & πάλιν egregie commovisse dicendus est, quod ex Epistolis ad Corinthios & Galatas scriptis abunde patet: hinc non immerito EUSEBIUS Sermonem PAVLI vocat πάν- των ἐν παρασκευῇ δυνατότατου λόγου, νοίκαις δὲ inauratiorum, imo ipsi adversarii fatéri necesse habent, τὰς ἐπισολὰς θεραπεύεις καὶ συχνάς, ubi priori vocula vel potentiam & robur, vel acerbas objurgationes & expostulationes posteriori vero δέινωσιν & efficaciam sermonis intelligendam esse ait B. GLASSIUS de stylo S. Lib. I. Tract. PAVLI Apostoli verba faciens. Plures quidem forte notari pos- sent

Iren. adv. Ha-
ref. cap. VII.
apud Cav. in
vita Pauli C.
VIII.

Euseb. II. E.
lib. XXIV.

2. Cor. X. 10.


Glaß. Philol.
S. Lib. I. Tract.
I. Sect. 4.

sent circumstantiæ, e quibus sententiæ propositæ veritas adhuc magis elucesceret, at cum oratio, incomta licet, si brevis sit, placeat, missa prolixitate tædiosa finem nunc operi huic impono.

§. XXV.

Hæc namque fuere, B. L. quæ de Temperamentis Scriptorum N. T. hac quidem vice differere volui. Probabiles tantum affero conjecturas, fateor, Mathematicas enim si expectas demonstrationes inique mecum agis. Tibi nunc de iisdem judicandi liberum relinqu arbitrium, cave tamen, ne præcipiti aut immaturo judicio Tuum nimis cito prodas temperamentum. Si mecum consentis, bene est, Tuaque benevolentia ad continuandos hosce labores me eo alacriorem reddet; si dissentis, non curo, neque etiam valde indignor, nam facultatem libere de rebus sentiendi mihi concessam Tibi denegare velle prorsus inurbanum judico. Oculi plus vident quam oculus. Homo sum, humani nihil a me alienum puto. Mihi satis est, si fatearis, Te intoto hocce scripto nihil invenisse, quod vel bonis moribus, vel etiam τῇ ὑποτυπώσει τῶν ὑγιανέστων λόγων adveratur. Hoc enim si præter omnem spem atque opinionem fuerit commissum, a me dictum scriptumve nolo, quin potius monitus errorem errore palliare minime conabor, sed veritati vietas lübentissime dabo palmas. Nam quemadmodum omnium mearum actionum, ita quoq; hujus qualiscunq; opellæ suprema lex esto:

SOLI DEO GLORIA!



NON TERRA MENTIT

non dicitur quod est. e quod est potest in e labore non
magis ostendere, ut cum oratio intercessum haberet, si pateret illi
deponit, nullus preceptum esse dicitur nisi auctoritate patris.

VERGIL

Procedens te ait, D. I. das Lernschulmutter, quod sit
quod est. Tunc patrem esse dicitur, e quod est potest in e labore non
magis ostendere, ut cum oratio intercessum haberet, si pateret illi
deponit, nullus preceptum esse dicitur nisi auctoritate patris.
Tunc deinde dicitur, quod est potest in e labore non
magis ostendere, ut cum oratio intercessum haberet, si pateret illi
deponit, nullus preceptum esse dicitur nisi auctoritate patris.
Tunc deinde dicitur, quod est potest in e labore non
magis ostendere, ut cum oratio intercessum haberet, si pateret illi
deponit, nullus preceptum esse dicitur nisi auctoritate patris.

2011 D. 20. ELOKUIA

99 A 6910



sb.


VD 77

Zdr. o

M. 68.



B.I.G.



26

DE
TEMPERAMENTIS
SCRIPTORVM NOVI
TESTAMENTI
DISSERTATIO PRIOR,
QVAM
SVPREMI NVMINIS AVXILIO
ET
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
CONSENSU
IN ALMA PHILYREA
DIE IX. IULII A. O. R. MDCCX.
H. L. Q. G.
PRAESIDE
FRIDERICO QVIRIN. GREGORIO,
PHILOSOP. MAGIST.
PVBLICE DEFENDENDAM IN SE SVSCIPET
RESPONDENS
GEBHARD FRIEDERICH RABENER.

LIPSIAE,
LITERIS ANDREAE MARTINI SCHEDII.
1717.